



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten ist, was vom Monath Junio des Jahrs 1648. biß zu dem, im Jahr 1649. völlig erfolgten Schluß und Ende des Universal-Friedens-Congressus zu Oßnabrück und Münster, gehandelt und geschlossen worden

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1736**

**VD18 90103165**

§. X. Der Königin in Schweden Schreiben an die Stände in puncto Satisfactionis Militiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53029](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53029)

1648.  
Junius.

§. 10. &amp; 11. placent, wie in obangezogenem Executions-Project enthalten.

1648.  
Junius.

§. 12. Fundiret sich mehrentheils auf anfangs berührte Designation der zahlenden Stände, und wird also, wann dieselbe eingeschicket, seine abhelfliche Maas um so viel bestomehr bekommen können.

Ad verf. Vorgehend dieses 12. Was dann die offerirte Summa der drey Millionen Rthlr. bey dem ersten Termin betrifft, wird selbige acceptirer, allein dergestalt, das 18. Tonnen Goldes Rthlr. davon baar, und 12. Tonnen Goldes Rthlr. durch gewisse Assignationes unfehlbar erleget werden. Über solche Assignationes aber, wird inter conclusionem & ratificationem Pacis, zwischen der Generalität und denen Ständen, damit die völlige Zahlung bey der Abdankung, theils in Baarschaft theils Assignationen, am süklichsten geschehen, und die vollkommene Quittung von denen Soldaten erfolgen könne, ein gültlicher Vergleich getroffen werden müssen.

Ad §. Betreffend 12. Wegen der zwey restirenden Millionen wird ein absonderliches Assurances-Formular eingerichtet werden müssen: Wobey dann von denen Herren Ständen eine engere Zusammenziehung der Zahlungs-Terminen zu vermuthen.

## §. X.

Der Königin  
in Schweden  
Schreiben an  
die Stände in  
puncto Satisfac-  
tionis Mi-  
litiz.

Nach bereits richtig gemachtem Articulo, die Satisfactionem Militiz Sue-dicæ betreffend, exradirten die Schwedische Geandten den Reichs-Ständen das nachgesetzte, von der Königin in Schweden an sie abgelassene Schreiben, sub N. I. welches am 11. Jul. st. n. zur Reichs-Dictatur gegeben wurde.

## N. I.

Dictat. Osnabr. d. 11. Julii A. 1648.  
sub Director. Mogunt.

CHRISTINA Dei gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designata Regina, & Princeps Hæreditaria, Magna Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingridiæ Domina &c.

Reverendi, Illustres, Magnifici, generosi atque spectabiles Domini Nobis sincere dilecti; Postquam Divus parens noster pietissimæ & gloriosissimæ memoriæ, plurimis injuriis provocatus & magni momenti rationibus motus, ad sui, suorum atque amicorum defensionem arma suscipere coactus fuisset, nihil habuit prius, quam ut inter arma & a divina benignitate indultas victorias, res sua cum adversa parte controversa & Status Imperii Romano-Germanici, jam multos annos summo cum discrimine vicinorum turbatus, justis tutisque mediis componeretur & pristino nitore ac quieti restitueretur; neque dubitandum de pii hujus ac prudentis consilii & intentionis certo effectu, nisi divino Numini placuisset abrumpere optimi parentis nostri vitæ terminos, eoque modo permittere, ut cæpta orbis Christiani conquassatio non modo protraheretur in hos multos annos, sed se quoque extenderet in vicina Regna & Respublicas cum plurimorum florentium Statuum ruina & nominis Christiani summo discrimine atque dispendio. Nos hæredes ut Regni jurisque, sic belli atque oneris paterni, id unice ac impense intendimus atque a nostratibus, quibus rerum nostrarum, imprimis pacis ac belli, curam per Germaniam commissimus, intendi volumus atque

Sechster Theil.

§

manda-



1648.  
Junius.

mandavimus, ut observatis rerum temporumque momentis, quaslibet occasiones justas & æquas arriperent tranquillandi orbis Christiani ac Romano Imperio, nostro Regno, confœderatis nostris atque aliis suas partes in bello agentibus, vetera jura amicitia ac quietis renovarent; Et quæ hisce motibus causam præbuerunt, aut animorum distractiones pepererunt, justis, æquis ac tutis rationibus ac mediis componerent, adfopitis iis omnibus in quantum obtineri potuit, quæ diutius disjunctos & alienatos detinere animos dissidentium posse viderentur. Non detinebimus vos longa enarratione eorum, quæ acta antehac sunt bello, quæ rerum facies fuita tempore Pacis Pragenfis & quæ subsecuta sunt, quantum temporis operæ & impendii infumptum est, antequam Præliminaria tractatum Pacis haberi potuerunt; quantum studii, laboris, industriæ impensum est, aut qui deputati negotio conficiendo fuere, cum nemo id accuratius norit, quam vos ipsi, qui Principum Principaliumque vestrorum nomine tanto tempore, gravissimo huic & ponderosissimo operi infudaveritis. Nobis certe nihil magis curæ fuit, quam divina adspirante clementia firmam cum amicis & confœderatis nostris, in & extra Imperium, retinere amicitiam & Paci publicæ ac universalis adoptatam intentionem, tum quoque ita moderari armorum vim, ut quocumque fortunæ cursu non impedirentur, sed promoverentur Tractatus Pacis justæ & universalis, licet aliud intendi atque agi ab adversa parte non difficulter animadverterimus; nunc postquam ex relatu nostrorum Plenipotentiariorum intelleximus, pleraque omnia majoris momenti, quæ bello causam dederunt aut ex ipso bello enata sunt, mutuo assensu, maxima sui parte adfopita & conventa, ut spes sit, si transactis insistatur & pauca, quæ supersunt, leniore manu habeantur, cunctam malorum segetem brevi refecari & Pacem restabilirî posse, ut præter stipendiorum militi nostro debitorum solutionem non nisi pauca restare videantur; Id Nos maxime afficit hanc militis nostri satisfactionem invidiose traduci & non nisi convicio in Nos & militem nostrum, de statu publico omnium optime meritum spargi & adjunctis minis, præter omne fas, in deterius verti. Ideo quamquam non dubitemus Plenipotentiarios nostros suum fecisse, facturosque officium innocentiam & nostram & militis nostri perspicue declarando, atque jus & æquitatem postulati ac intentionis nostræ adserendo, ut iis non difficulter acquiescere possimus, tamen cum omnia huc usque adeo probe successerint, ut spes nunc affulgeat non pacis tantum & quietis publicæ, sed etiam consolidationis animorum, inter Nos Regnumque nostrum & confœderatos atque Imperatorem Statusque Imperii, id ex revivum est esse, ut literis hisce nostris, Plenipotentiariorum nostrorum adserta firmaremus & quæ mens nostra sit circa militis nostri stipendia, paucis explicaremus. Notum est & vobis & universis rerum præsentium gnaris, militem nostrum sine differentia cujuscunque sit gentis, non tantum pro nostra, sed communi Imperii salute, multis nunc retro annis pugnasse & summas difficultates & labores, vulnera & pericula exantasse summa & admirabili cum constantia ac fortitudine, ut negligi aut transiliri sine turpitudine aut infamia non possit. Haud equidem negari potest, Status Imperii diuturno bello exhaustos & florentes olim provincias, casis hominibus atque animalibus, ferme in solitudinem redactas per bellicas hospitationes, stativa, transitus atque excursionis, ac cum hi bellorum comites sint & si bella continuent, adhuc genio belli, ejusdem comites futuri, nihil mirum, si durante bello parcere nequiverint. Neque in præsens tam anxie cogitandum quomodo quisque sublevari difficultatibus & oneribus, quam quomodo malorum principia tolli possint, etiamsi id fieri nequeat sine grandi onere, quod speciem mali habere necesse est. Cogitate ergo & perpendite secundum Deum, nostro studio & optima intentione, nostri vero militis indefesso labore ac opera id contigisse Imperii Statibus felicitatis, ut fopitis, quibus hæctenus exagitati sunt, litibus & controversiis, coalescere cœperint & magis coalescere possint

1648.  
Junius.

in



1648.  
Junius.

in conformitatem unius corporis atque consilii. Neque tantopere aestimare malorum sensum, quo affecti bello Status fuerunt, quam bona, quæ inde eveniunt, siquidem libertas publica Statuum Imperii neque aliis rationibus olim acquisita neque nunc conservari potuerit; Idque a vobis nomine Principum ac Principalium vestrorum ex parte observatum animadvertimus, dum militi nostro satisfactionem quandam haud recusatis in toto, sed eandem ita accisam & decurtatam offertis, aliis quoque adjectis clausulis, ex quibus militum nostrorum multo citius distractio, quam satisfactio subsequi possit. Admonendi igitur ea de causa videmini, ut cunctis recte ponderatis, militis nostri virtutem atque servitia non nobis tantum, sed magis Principibus ac Principalibus vestris hætenus præstita perpendatis, & ex eo quid æquum & justum, tum quid fieri possit & debeat, sua lance libretis, atque exinde quid opus facto statuatis. Quod si rem accuratius paulo examinare volueritis non difficulter pro vestra prudentia deprehendatis consilia contraria, specie quidem forsan jucunda & læta, sed tractatu difficilia, ipsoque eventu tristia futura: Ut quam viam elegeritis mitiorem, eandem fore magis lubricam & salebrosam, actu ipso sentiat. Nos optimo jure & propter summa militis nostri præstita servitia, tam Nobis, quam Statibus Imperii magni aestimamus ejusdem constanter exantlatos labores & difficultates, justa recompensatione dignas judicamus, & vobis statum conditionemque ejus optimo modo recommendamus; Neque tamen hanc nostram recommendationem Principibus & Principalibus vestris aut a vobis aliter reputari volumus, quam cum justa consideratione æquitatis & præsentium rerum vestrarum ut & merita militis nostri, & quid jure fieri possit ac debeat æqua lance ponderentur: merita enim militis & fructum conservatæ libertatis publicæ in Imperium redundantem ex una parte aestimari exoptamus; Ex altera vero præsentem Principum ac Principalium vestrorum conditionem recte librari & ponderari æquum esse, ne hæc supra modum oneretur, neve miles se neglectum jure queratur: cujus rei justam & æquam rationem vos habituros & præsentem tempori adapturos haud ambigimus, ne vel paci mora & executioni impedimentum injiciatur, vel sub nimio onere Status ipsi succumbant. Quod prudentissimo vestro judicio relinquimus. Nos quidem super quanti ratione hætenus fuimus sollicitæ, ut utriusque æquis respectus haberetur, verum postquam eo usque Pacis negotiationem deductam animadvertimus, non possumus non & militem ad æqua postulata hortari & vobis authores esse, ut ejus merita, denique Pacem ipsam, quæ sine militis justa satisfactione nunquam haberi poterit, expendatis, atque in eo tam promptos vos exhibeatis, quam non dubitamus Pacem a Statibus ipsis & vobis summopere desiderari & exoptari. Nihil erit in Nobis moræ aut impedimenti, quo minus Pax exoptata & tranquillitas universalis tot annos jam exulans, divina adspirante clementia rursus efflorescat, ac si quid amplius ad illum scopum contribuere poterimus operæ & consilii, nihil sumus studii nostri intermissuræ, Deum optimum maximum animum precantes, ut voto nostro annuat & vestris consiliis, laboribus ac industriæ dignos effectus largiatur. Hisce vos Deo commendamus, Dabantur in Arce nostra Stockholmensi d. 17. Junii Anno 1648.

1648.  
Junius.

Reverendis, Illustribus, Magnificis,  
Generosis atque spectabilibus  
Nobis sincere dilectis Dominis,  
Romani Imperii Electorum,  
Principum, ac Statuum ad Tra-  
ctatus Pacis Osnabrugæ & Mo-  
nasterii in Westphalia Deputatis  
Consiliariis ac Legatis &c.

CHRISTINA.

Sechster Theil.

§ 2

§. XI.